

B. h. II, 55.

h. 8, 9.^a



SUMMAM IN COELO ET TERRA
HABENTE POTESTATEM
DUCE DEO

DISCURSUM POLITICUM
DE

FORMIS RERUM-PUBLICARUM
PRÆPRIMIS

STATU IMPE-
RII ROMANO-
GERMANICI

SUB PRÆSIDIO

M. CASPARIS ESAIÆ Siegfrieds/

Polit. Orat. & Poës. Professoris Publici

PUBLICÆ

IN ILLUSTRIS AUGUSTEO

Die X. Maji A. O. R. M DC LXVII.

DEFENDET

JOHANN. FRIED. à Schagen /

Eqves Oldenburgicus,

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS.



Celsissimo, Illustrissimo, & Generosissimo
Comiti ac Domino,

DN. ANTHONIO
GUNTHERO,

Comiti in Oldenburg ac Delmenhorst, Dy-
nastæ in Jever ac Kniephausen, &c.



Domino suo Clementissimo,

In



Summæ Clementiæ ab ejus Celsissimæ ac Illustrissimæ
Generositatis Gloriosissimis Majoribus Proavis suis à
sexcentis, & quod excurrit, annis, referente Chronico
Oldenburgico, uti & ab ejus Cels. sibi suisq; immerentibus
maximorum beneficiorum collatorum memoriam sem-
piternam

Hasce primitias studiorum suo-
rum debitâ gratitudinis obser-
vantia humillime & obsequen-
tissimè dedicare & offerre vo-
luit

JOHANN. FRIED. à Schagen/
Eqves Oldenburg,



JESUS!
PRÆLOQVIUM.



I ulla in re verum est, quod e-
loquens ille Vir & amans Reip. Cæ-
sarea voce ita appellatus teste Plu-
tarcho, Cicero in Orat. ad Brutum
non sine ratione dixit: *Difficillimum*
est in omni re, formam exponere. Ete-
nim forma in actum perducens ma-
teriam, essentiamq; rei constituens non pari modo in
sensus, à quibus omnis nostra cognitio, incurrit atq;
materia, ut Scaliger scitè dixerit: Nomina tu mihi
lapidis formam, qui quotidiè oculis tuis obversatur,
& Phyllida solus habeto: Sanè in Rerump. *formis* &
imperandi artibus sententia illa vim suam maximè
exerit. Quò enim magis formæ rerum aliæ actio-
nibus suis naturam & quodammodo essentiam suam
prodendo nobis se manifestant: eò occultiores sem-
per habitæ sunt Rerump. formæ ita, ut si ex nudis ti-
tulis, quorum hodierno die maximus est abusus, rem
quis metiatur, facilè decipiatur. Nam omnes ferè,
si non cum Nerone apud Tacitum Lib. 13. Ann. c.
46. *flagitiis & sceleribus*; tamen arti regendi & formæ
velamenta quæerunt; Titulos aliis concedunt, rem oc-
cupant, Titulum Libertatis, in Servitutem vertunt,
nova in Rempubl. merita seu potius ipsam formam,

A 2

non

non utilitatis vocabulis honorantes. Multi quippe
dignitate sunt Regia, quamvis careant nomine. Gry-
pus apud *Justinum Lib. 39. c. 1.* à matre Rex consti-
tuebatur, ut nomen Regis penes filium, jus autem omnis imperii
penes Matrem esset. Multi sibi Reges quarunt, quibus ipsi
imperent. *Id. Lib. 22. c. 1.* In multis Regnis lateribus Re-
gum juncti civitatem regunt, Tribunatus, Præfecturas & Du-
catus mulieres ordinant, nec quisquam in suo Regno minus quàm
ipse Rex potest. *Id. Lib. 30. c. 20.* Quod ipsū si æqviori judi-
cii lance perpēdo, disputaturū me de formis Rerump.
& Statu Imperii Romano-Germanici difficile arduū
& periculosa opus alexæ, quod aggredior, de iis scri-
pturus qui possunt proferbere, facile deterrere po-
tuisset, maximè cum neq; etate neq; eruditione cū iis,
qui assident, quibusq; primitias studiorum meorum
publicè ventilandas expono, sim comparandus.
Addidit tamen animum & allexit me cum rei quò
difficilioris eò nobilioris & dignioris, scopo meo
præfixo & statui maximè conveniens natura, tum
Studiorum ratio, absq; ejusmodi exercitiis infeliciter
sumptorum. Et quamvis ea apud *Livium Lib. 1. c.
24.* Victorem in bello eò majori excipi cum gaudio, quò propè
metum seu periculum res fuerit, mihi in acie hujus Scho-
lastici certaminis constituto tribuere nequeam; sat ta-
men Bonis omnibus, in magnis voluisse, factum vi-
debitur. Benevolentia igitur honorum fretus a-
lios vix curo. Barbarus licet ut durum rejiciat, quic-
quid non est planè barbarū: Scioli aspernentur ut tri-
viale, quicquid obsoletis verbis non scatet: Quibus-
dam solum placeant vetera, plerisq; tantum sua: Hic
tam infulsus, ut non ferat sales; adeò mobiles alii
sunt, ut aliud sedentes, aliud stantes probent. Nec

Jupi-

Jupiter omnibus placet, neque pluens neque absti-
nens.

Tu, Lector, si quid novisti rectius hifce,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

§. 1. Quod materia est absque forma, vivens absque
anima, homo absque ratione; id Civitas est absque Re-
publica, multitudo hominum absque Legibus, societas,
in quam Naturam omnes feruntur, absque vinculo &
ordine. Sicuti enim nullam absque forma materiam
in rerum natura existentem; & quæ concipitur abs-
que forma, aut confusum quid, potentiam inertem
merè passivam, aut plane nihil esse, invenias: Ita
nullam societatem absque forma eam animante inve-
niri & subsistere posse, tibi persuadeas. Id cum ho-
mines initio rerum probè perspicerent, Socie-
tate majori facta, formam potissimum eam, cui in So-
cietatibus simplicibus, in quibus paterfamilias Re-
gio more imperabat, assueti erant, naturæ ductu am-
plexi, ab unius Imperio facile pendebant & se regi
patiebantur, ut non sine ratione Justinus Lib. 22.
c. 1. aliique Historici scribant, initio rerum Imperium
penes Reges fuisse, quod Naturæ jus secuti sint
populi.

§. 2. Quod autem homines in rerum principiis
& societatibus simplicioribus constituti experiebantur,
ut, qui antea Naturæ jure contenti ejus formam facile
regebantur, postea factis societatibus majoribus &
multiplicatis hominibus jus Gentium, rerum divi-
siones, foedera & bella juxta rectam rationem consti-
tuere, & secundum novas leges civiles vivere necesse
haberent: Idem integris Rebus accidisse putamus,
quæ posteaquam morbo, forma priori contracto, se

A 3

labo-

laborare, vel corpus in immensam molem & magnitudinem excrevisse, & unum Spiritum vitalem, quem tot millia traherent, vix sufficere, nec omnem formam, corporis tanti ex distantibus, uti Seneca loquitur, in omnibus longe distitis membris oneri ferundo parem esse viderent: De aliis & quidem novis formis ratio humana homines in curam & sollicitudinem traxit, ut Monarchiam modo in Aristocratiam, hancque in Politiam mutarent, verterent reverterentque, imò ipsi formæ administrationem substituerent.

§. 3. Factum dehinc, ut ad quam varietatem & mutationem formarum homines usus & necessitas perduxerat, Politici post à priori Resp. benè constituturi anxie inquirere inciperent, quænam harum ita variantium optima judicanda, & civitati introducenda veniret? Et quia quod optimum erat in communi vita, vix ab alio, quam qui ipse optimus est, expectari præstarique poterat; nemo quoque nisi per virtutem Optimus censebatur; inde opus esse videbant, virtute præstare Regem, qui dirigendæ Reip. præficeretur. Rectè quippe Cic. 2. Off. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud Majores nostros fruendæ justitiæ causa videntur olim benè morati Reges constituti.

§. 4. Verùm cum in hac rerum inconstantia & corrupta hominum natura paucos bonos, vix unum optimum, plurimos malos ne quidem Neronis quinquennium absolventes observarent Reges: Etiam Viros magnos aliquando virtute & Nobilitate ita pares, ut difficilem ex iis electionem non tantum æqualitas faceret; sed & vitio Reip. perniciosissimo

emh-

emulatione in diversas partes civitatē trahi experirentur. Quo malō post mortem Alexandri M. Monarchia Græca modò constituta laborare & labare cœpit. Nam cū Alexander M. jam animam efflaturus, rogatus, quem Imperii hæredem relinqueret & responderet: *Dignissimum*; seu *Optimum*. Quam magnitudinem animi Justinus Lib. 12. c. 15. maximè extollit, ut cum Herculem Filium, cū fratrem Aridæum, cū Roxanem uxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet hæredem: Voce tamen illa bellicum inter amicos cecinit, aut malum discordiæ misit. Ita omnes in *emulationem* consurrexere, & ambitione tacitū favorem militum quæsivere. Quod malum, ex ambitione maximè quærare inferiorum & subjectorum favorem, omnis etiam exiguæ societatis præsentissima est internecio.

§. 5. Electioni inde successionem alii præferentes cum Tacito ferenda Regum ingenia; Bonos Imperatores voto expetendos, qualescunq; tolerandos putarunt. Et quanquam quoad hoc celeberrimus Conringius Disp. de Differ. Rerump. ex Aristot. Lib. 4. Polit. c. 11. & 12. tribus modis Rempublicam aliquam censeri posse optimam observaret. Esse nimirum 1. aliquam ex voto optimam, de qua Plato in opere suo de Rep. dictam non incommodè inde Platoniam & idealem. 2. Dicit aliquam optimam non quæ omnibus nævis & incommodis careat, qualem Plato quæsiivit: sed quæ ut plurimum optima censeatur. Demum Optimam aliquam ex hypothesis pro statu præsentis dici posse, quia inveniantur populi, qui meliorem ferre non possent. Si igitur

tur

ear ex voto optima Resp. æstimanda, neq; Regium
statum, neq; alium Optimum dici posse, quicunqve
hodie in terrarum orbe reperiatur. Nam
obtinuisse scribunt Historici Plotinum à Gallieno
Imperatore, ut sibi liceret circa Neapolin Campaniæ
Urbem in deserto quòdam oppido Remp. ex præ-
scripto Platonis instituere, Aulicos verò restitisse,
quod naturæ planè repugnare putarent. Idq; rectif-
sime, quippè cum hominum, quæ hodie est condi-
tio non admittat adeò exquisita omnia; in Rebusp.
sanè non tam quod est Optimum, quàm quod ad u-
sum transferri potest, est considerandum. Accedit,
cùm Practicæ disciplinæ Opera sua in actum dedu-
cere promittant, tales solum Rerump. formas in con-
siderationem trahendas esse, quibus mores civium
non repugnent. Uti iterum disputat ex Arnifæo
laudatus Conringius Disp. de optima Rep. Pro in a-
liam esse rationem, si expendatur, quid plerisq; po-
pulis sit commodissimum. Nam evolventi histo-
rias ad oculum patere, non tantum plerasq; sed & an-
tiqvas Gentes omnes sub Regibus degisse, quod præ-
ter Ciceronem de LL. Lib. 3. asserit quoq; Justinus,
historias suas ita exorsus: Principio rerum, Gen-
tium, Nationumq; Imperium penes Reges erat.

§. 6. Verùm enim verò cùm ne his rationibus
(uti in materia contingenti consuevit) dissidenti-
bus inter se Politicis & acerrimè pugnantibus satis-
fieret; de temperamento aliquo cogitare & mix-
tam ex prioribus formam Civitati introducere cœ-
perunt. Quod in temperamento nobilissima quæ-
que consistat natura, quæ nullius partis corporis
mystici seu civilis vires nimis auctas faciat in solen-
tio

iores; sed temperate vires harmoniâ aliqua & concē-
tu suavissimo inter se coeant. Quodque actionibus
humanis temperamentum aliquod & mediocrita-
tem, ne in alterum vel excedendo vel deficiendo la-
tus seu extremum declinetur, dictamen præscribat
rationis adeo, ut hodie vix ullâ reperiri Remp. Chri-
stianorum rectam ab omni mixtione liberam, non-
nulli asserant. Ita semper in nova fertur parvus
mundus, naturæ complementum & compendium,
homo, novas semper appetens formas earumq; mu-
tationes magni ad instar mundi & Naturæ hujus u-
niversi, ut non fuerit mirum, Poëtam ita ex-
orsum:

In nova fert animus mutatas dicere formas.

§. 7. Remp. publicam mixtam ex tribus formis
sub Servio Tullio Romanorum Rege Primam fuisse,
nonnulli putant. Verum talem unquam datam
fuisse Remp. quæ ex unius, Optimatum & Populi
potestate constaret, videtur Boeclero magni nominis
Politico in Disp. de Roma sub 7. Regibus negandum.
Quia in hac mixtura, populi potestate auferente nil
nisi simulacrum potestas Patrum esset. Quo perti-
nere dicit verba Grotii Lib. I. de I. B. & P. C. 3. §.
20. Vi populi auctâ speciem tantum Veterem Pa-
trum auctoritatem retinuisse, cum in incertum Co-
mitiorum eventum Patres auctores fieri cœ-
perunt.

§. 8. Nos autem non loquimur de aucta pote-
state populi sub hoc vel illo Rege mixturâ factâ.
Nam eô ipsô mixtionis læditur temperamentum, &
ex temperata aliquando popularis status radices agit
moxq; prævalet; Sed de tali loquimur, in qua neu-

B

ter

ter status prævalet. Qui stat, Grotio haud displicet, quicquid sit de eo, quod quemadmodum in homine temperamento bono gaudente, tandem aliquando una prævalere & morbum corpori contrahere possit qualitas, etiam in tali Rep. modò hic, modò ille possit prævalere status & per accidens ex mixto sequi. Cæterum Tacitus Lib. 3. Ann. c. 26. expressis verbis habet: Præcipuus Servius Tullius Sanctior legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent.

§. 9. Romanum Imperium, cujus gratiâ hæc sumus præfati, veluti in tempestuoso & fluctuoso mari constitutum, tot mutationum procellis sæpè esse turbatum ac concussum, nemini ignotum esse potest, nisi qui historiarum jucundissimos fontes nunquam degustavit. Nam si statum Romanæ civitatis proximum à Regibus tantum consideramus, Roma annos quadringentos, quibus inter Reges & Cæsares libertatem se habere, est professa, nonne quasi in perpetuo certamine ac tumultu vixit? Hinc secessiones, hinc fracti consulum fasces, & odio Imperatoris hosti præbita victoria. Hinc tribunitia potestas, Conjugiorum & honorum communicatio, Tribuni militares, Decemviri Legum scribendarum, Dictatores, Magistri equitum. Quis annus absque tumultu, nisi cum partibus ab hoste communis timor impenderet, transactus est? Inter se itaque collisi sunt Romanæ Urbis incolæ, donec ad unum Reipubl. iterum devolveretur, & Augustus cuncta discordiis fessa nomine *Principis* sub imperium acciperet teste Tacit. Lib. 1. Ann. cap. 1.

§. 10. Sed progressu temporis etiam Principatus pertæsum est, novæque subinde mutationes sunt secuta.

1æ.

Archiepiscopos & Episcopos per singulas provin-
cias ab eo accipere investituras definivit, &c. Nec
solum potestas hæc duravit ad id tempus, quo impe-
rium Rom. Germanicum successivum esse desit.
Sed ad ulteriora tempora, quibus jure Electionis
Germanorum Augusti Imperium adepti sunt, verum
esse deprehenditur, attestante Goldasto Tom. 1. con-
stit. Imper. 101. ubi Senatusconsultum Romanum
de Lege Regiâ, qua anno Christi 964. à Papa S. P.
Q. R. jus omne & potestas Ottoni I. Imperatori &
in eum confertur, legi potest. Similiter extat Sena-
tusconsultum, quo anno Christi 1040. à Papa S. P.
Q. R. jus omne & potestas Heinrico III. Imperatori
& in eum collata est Tom. 1. Constit. 116. &c. Ut ita
merito jure imperium nostrum Romano Germani-
cum audiat. Nam placuit Populo Romano, quo
certius præsidium haberet, Regem non proprium si-
bi sumere, sed eum, quem Germani sibi fecissent, sunt
ipsius Grotii verba l. 6.

§. 12. Mutationes reliquas, quoad formam hu-
jus Imperii, quæ sub Heinrico IV. & aliis, quibus
Electores originem suam debent, atque præcipue, quæ
sub diuturno illo inter Regno octodecim annorum
post mortem Friderici II. turbato Imperii statu eve-
nere, consulto præterimus. Nam si totam Imperii
hujus periodum ab urbe conditâ usque ad præsentem
statum, omnes mutationes earumque causas referre &
explanare animus esset, hæc pagina non sufficerent.
Neque de perpetuo & continuo, sed Discursum Poli-
ticum de formis & præsentis Imperii statu scribere,
nostrum est propositum.

§. 13. Statum igitur cum dicimus satis convenienti
voce,

voce, quæ rei natura exprimat, nos uti arbitramur.
Nam cum status dicatur à stando, unumquodq; autem
quod est, per suam formam stet & consistat, jure meri-
to forma Reip. Status dici meretur, quia per formam
Respubl. stat & existit. Hinc formulæ illæ loquen-
di satis frequentes: Status Monarchicus, Aristocra-
ticus, Status Democraticus, Ratio Status. Etiam
aliarum Populi lingvarum hanc vocem civitate do-
narunt; quos ita loquentes sæpè audimus: Estat:
Der Estat von Frankreich/Estat in England/die Herren
Staaten von Holland/ &c.

§. 14. Vix autem uno modo hæc vox capitur,
sed varias parit significationes. Quantum ad no-
strum institutum, notandum est, Statum sumi vel
concretivè vel abstractivè; Concretivè quando de-
notat personam aliquam cum aliis in Imperio jus suf-
fragiorum æquale habentem, vel quando civem, Se-
natorem, & consortem imperii, civem, qui in civi-
tate cum aliis potestatem judicandi habet, uti Aristo-
teles civem definit Lib. 3. Polit. c. 1. Cui acceptioni
ad distinctionem in Germanico Idiomate respondet
dictio: Ein Stand des Reichs. Abstractivè sumitur
pro ipsâ formâ civitatis, cui respondet in Germani-
co: Ein Staat. Sumitur etiam vox hæc aliquando
pro toto composito ex materiâ & formâ, quem in
modum Respublica etiam capitur, cum formam ma-
gis denotet quam compositum ex materia & formâ.
Ita Statum pro toto corpore Imperii sumi apud Flor.
l. 4. c. 3. n. 8. Struvius nobis Author est in Disp. de
Characteribus Status imperii. Hoc modo etiam
capienda est vox hæc in trita illa distinctione formæ
Status & formæ administrationis, Rectius loquun-

tur, qui distinguunt inter statum & administrationem. Plures alias acceptiones qui desiderat, evolvat Lexicon Martini. Nos quomodo h. l. Statum sumamus, ex supra dictis patet, pro eo puta, quod alio nomine modo formâ civitatis modo Resp. propriè dicta audit.

§. 15. Inquireremus nunc in primam moderni status imperii Romano Germanici originem, quæ in cognitionem rei aliquo modo nos posset perducere. Ast quia ea, quæ paulatim irrepere solent, vix unquam percipiuntur, nec nisi conversione secuta sentiuntur; quis nobis vitio vertat? Si magis præsentia quam præterita respiciamus, & quæstiones illas satis intricatas: Quæ fuerit prima Capitulatio Regum Germanorum? An differat essentialiter ab antiquâ lege Regiâ Romanorum? quo anno & à quo Electores in Imperio sint constituti? & centum alias, quæ ad jus publicum non ad Politicam spectant, jam non curemus. Communem potius sententiam apprehendimus & dicimus: Status Imperii Romano-Germanici, quo hodiè stat & constituta est civitas nostra est mixtus ex simplicium formarum rectarum partibus potestativis ratione diversorum subjectorum & objectorum, ita ut aliquando Monarchicus, aliquando Aristocraticus præponderet.

§. 16. Non sine causa dicimus Statum mixtum ratione subjecti & objecti simul, Impartibilis enim nobis Majestas videtur subjectivè tantum, quia jura ad summam potestatem pertinentia pluribus uno divisim simul communicari nequeunt, puta circa idem objectum & negotia eadem. Fundamentum assertionis hujus est, quia repugnat, duos circa idem objectum

etum summo simul imperio potiri. Eo ipso enim unus alterum posset impedire vel non posset: Si posset, ædepol impeditus non haberet summam potestatem; sin impedire alter alterum nequiret, eo ipso is, qui alterum prohibendi facultate destitueretur, summam potestatem non obtineret. Eodem fundamento nixi omnipotentiam divinam unam in uno Deo ex lumine naturæ Scholastici saniores eunt probatum. Dispar autem ratio Majestatis est, si summa potestas ad subiecta vel objecta sua simul referatur. Hoc enim respectu eam dividi posse indubitanter asserimus. Sunt autem subiecta Majestatis personæ imperantes, & in Imperio nostro Imperator, Electores cæteri; qui statuum nomine veniunt. Objecta autem quævis negotia publica in civitate, à varietate variâ sortita nomina modo sacra, modo Politica negotia dicta.

§. 17. Hoc ita claris & apertis proponere volumus verbis, quia non pauci inveniuntur, quibus Republ. mixta è numero impossibilium habetur, contra sacratissimū Imperium nescio quid non effu-
tientes falsâ hypothesi nixi. Negant enim mixturam simpliciter Junius, Petrus Gregori Tholosanus, Hænonius, Timplerus, Bodinus, Tholosani argumeta quasi suæ fictionis exponens, & Boxhornius Lib. 1. c. 4. Instit. Polit. qui mixtæ Reipubl. Patronos nullo discrimine febriculosos & otiosos homines tanti commentiautores prædicat. Vir exacti judicii Bœclerus in Comment. ad Grotium, hanc quæstionem arduam, neq; in hunc diem satis expeditam agnoscit, & Tacitus Ann. Lib. 4. c. 33. eam laudari facilius quam evenire, aut si eveniat, haud diuturnam
nam

nam esse posse. Piccartus in Philosophia Altorff.
ideam Platoniam Rempubl. mixtam vocat, quam
tamen seqviori tempore Comment. in Aristot. Lib.
4. c. 9. Polit. contra Tholosanum & Bodinum opero-
se propugnavit.

§. 18. Fatetur Bodinus Lib. 2. de Rep. c. 1. A-
ristotelem præter tres simplices formas, quartam ex
tribus superioribus confusam tradidisse: Polybium
etiam septem enumerare formarum genera, tria qui-
dem vitiosa, totidem laudabiliter constituta, septi-
mum ex tribus posterioribus temperatum. Poly-
bium secutos esse Dionysium Halicarnassem, Tul-
lium, Thomam Morum, Contarenum, Machiavel-
lum, ac multos alios sententiam eam probasse, quæ
quidem antiquissima sit, nec à Polybio, qui se autho-
rem putet, originem acceperit, nec ab Aristotele; sed
annos amplius quadringentos ante Aristotelis æta-
tem, Herodotum antiquitatis Parentem, quartum il-
lud genus ex tribus confusum à plerisque laudatum,
fuisse, scripsisse: Ac nisi argumentis non modo pro-
babilibus, sed & necessariis ad assentiendum ab illâ
Polybii, Tullii ac cæterorum sententia deduceretur,
talium virorum autoritate vinci seipsum facile pas-
sum fuisse.

§. 19. Argumenta illa necessaria audire gestimus.
Primum est: *Quarum civitatum contrarios fines ac status
videmus, eas legibus inter se contrariis ac discrepantibus mode-
rari oportet, cuiusmodi est Monarchia, Democratia plane
contraria.* Absurdum non est; duo contraria esse in
uno eodemque subjecto in remissioribus gradibus pu-
ta. Alterum est: *Si quidem ex tribus generibus modicè
temperatis quartum exurgere possit, vim quandam diversam*
à reli-

à reliquis habiturum esset: At illud quod ex tribus Reipubl.
 generibus conflatur, nihil omnino differt à populari statu. E. R.
 Negatur assumtum. Pergit tertio: Nec tamen diuturna
 fuerit hæc mutua imperandi ratio. R. Non quæritur
 an diuturna, sed an possibilis sit. Quamvis nec diu-
 turnitas omnis mixtæ sit deneganda. Fortassè invi-
 ctissimum argumentum erit, quod cum aliis mixtam
 formam negantibus ab indivisibilitate Majestatis
 ducit ita inferens: Si Majestas per se ipsa est quoddam in-
 dividuum, quæ ratione uni & omnibus eodem momento congruere
 potest? R. Modum divisibilitatis supra declaravi-
 mus. Tandem similibus pugnat: Quemadmodum, in-
 quies, corpora rectè à natura constituta si mutari contingat,
 incredibile fœtore ac sui contagione proxima quæq; infestant,
 quoad novam formam adepta fuerint, ut cum ova incubantur,
 quæ tamè prius quàm incubentur suavissimi sunt odoris & saporis;
 ita quoq; Respubl. quæ mutantur, distractis hinc inde Majesta-
 tis legibus ac summâ potestate divisa, requiem à bellis civilibus
 & perturbationibus nullam habent, quoad formam planè consum-
 matam adipiscantur. R. Simile hoc maximè est dissimi-
 le; loquitur enim hoc de mutationibus Rerumpubl.
 & formarum conversionibus; verum nos de mixta
 Republ. loquimur constituta, non de confusa & per-
 turbata, E. Nihil ad rem.

§. 20. Rempubl. mixtam nobiscum constituunt
 Politici saniores. Ipse etiam Grotius mixturam
 hanc admittit Lib. 1. c. 3. n. 8. dicens: Notandum quan-
 quam summum Imperium unum quiddam sit ac per se indivi-
 sum, constans ex illis partibus, quas supra enumeravimus; fie-
 ri tamen interdum potest, ut dividatur seu per partes, quas vo-
 cantur potentiales, seu per partes subjectivas. Sic enim fieri po-
 test, ut populus Regem eligens quosdam actus sibi servet, alios

C

411. 176



autem Regi deferat pleno jure, &c. Excell. Thomafius in
Philosophia Practicâ Tab. 49. dividi Majestatem
posse probat, quia divisibilitatem istam ex natura rei nihil
impedit. Quod enim ad materiam attinet, est in Majestate
partium, in partibus modorum, in civitate personarum capa-
cium multitudo, &c. Atq; ita factum est hodie in quamp-
lurimis, ac nescio, an non in omnibus Rebus publ. quas ideò numeri-
cè mixtas vocamus.

§. 21. Et quanquam quoad Imperium Romano-
Germanicum Reinking. Lib. 1. de R. S. & E. Class.
2. c. 2. pro statu absolutè Monarchico acriter dimi-
cet; Bodinus & Paurmeisterus Lib. 2. de jurisdictione
c. 2. n. 9. &c. Aristocratiam defendant, quorum
sententiæ illud Moguntini favet apud Sleid. Lib. 1.
de Stat. Relig. Nobis autem imprimis est Aristocratia reci-
nenda: quæ verba eoque modo intelligenda
sint, explicat Carpzovius in L. Reg. c. 13. sect. 9. n.
9. Mixturam tamen nobiscum agnoscunt Clapma-
rus, B. Carpzovius, Befoldus Lib. 1. Pol. c. 8. Et Ca-
rolus von Hagen Lib. 1. Instit. Jur. Publ. c. 1. & mul-
tialii. Uter autem Status in mixtura hac præponde-
ret, Aristocraticus ne, an Monarchicus, Scriptores
certant & adhuc sub judice lis est. Aristocratiam
præfert Linnaeus, Carpzovius, Liebenthal / Schou-
born / Daniel Otto: Monarchiam prævalere alii mul-
ti cum Reinkingio statuunt.

§. 22. Cum verò quâ formâ civitas aliqua rega-
tur, intelligi non possit, nisi de summâ potestate seu
Majestate constet, cui illa comperat. Nam si uni
convenit, Monarchia; si Oprimatibus indivisim A-
ristocratia; si toti Populo, Politia; si uno pluribus
divisim Mixta à Politicis verè dicitur. Nec minus
Maje-

Majestatem multi variè, ut Sophisma Politicum facere, sibi eam reservare potius, quàm alteri tribuere, possint, torqueant, variisq; distinctionibus magis involvant, quàm evolvant & manifestent. Ideò conclusio nostra stare non potest, nisi removeantur obstantia.

§. 23. Communiter distingvunt inter Majestatem realem & personalem. Quæ certè distinctio prout vulgò usurpatur & sibi, & in omnem humanam potestatem perniciosa est. Sibi quidem, cum ut rectissimè disputat Boeclerus absurdum sit, duo summa in unâ civitate constituere, unum in ordine fundandi in legibus fundamentalibus, alterum in ordine regendi collocare, Majestatem personalem reali subijcere, & tamen summam potestatem dicere. Si enim Majestas realis improprie Majestas dicitur, jam non est Majestas. Et si Majestas personalis est summa ubiq; in civitate potestas, ubi jam realis erit? si realis, est illud S. Imperium, quo personalem ablegabimus? &c. Cum itaq; hoc discrimen ex malè intellectâ mixtione Rerum publ. ut judicat idem Boeclerus in Not. ad Grotium lib. 1. c. 3. ortum nullâ ratione nitatur, meritò explodatur; & cautè legantur, quæ complures circa idem philosophantur. Cujus generis videri possunt, quæ Boexhornius Instit. posuit Polit. qui Majestate Imperantium primò designata & mox induta aliam quandam Reipubl. Majestatem contra ipsos domi Imperantes facit, quæ in observatione formæ ordinisq; Imperii semel recepti, legumq; quæ per ea repertæ sunt, & fundamentales vulgò appellantur, subsistat. Circa quarum & minimâ parte

mutationem nihil quicquam cuiquam (adeoque nec Imperanti) indulgendum sit.

§. 24. Similis mihi Majestas hæc realis videtur illi, quam Eumenes apud Corn. Nep. in insignibus ac ornatu Regio collocabat. Qui mortuo Alexandro sceptrum, Diadema aliosque Regales ornatus congregit, & eo in loco consilia capi iussit. Perpendat saltem æquus Politicus & Jureconsultus! Majestas quædam collocata in LL. fundamentalibus unde vim & nervum accipit? à literis in Tabulis conscriptis? quid lex sine executore? quid Leges fundamentales sine Custode? Leges mortuæ, mutæ. Legis igitur Custos & Executor Lex viva Magistratus sit necesse est, qui Imperanti personalem coerceat. At qui si talis quis est, eo ipso realis Majestas est personalis & superior eo, qui personali Majestate antea dicebatur fulgere. Ergo summam potestatem datur aliqua superior in eadem Civitate, quod implicat. Nam quod Monarchis & Optimatibus relinquere se dicunt Majestatem personalem, reali interim, quæ personalem in ordinem cogere possit, ubique penes Populum seu civitatem remanente: Imperantibus verbodant Majestatem, re adimunt. Personatam ergo dixissent potius, quam personalem.

§. 25. Celebris etiam est distinctio, quæ Majestas Imperantibus vel cumulativè vel abdicativè conferri dicitur. Nos enim, qui cumulativè Majestatem collatam habere dicitur, propriè Majestatem habere negamus. Nec enim propterea in sacris habuit Josephus summam potestatem, quod in eum Pharaoh regni negotia cuncta conjecerit, ut subditos ne audiret quidem. Nec Silanus, quamvis juxta Dionem
eius

ejus Decreta Tiberius tanti fecerit, ut nullas appella-
tiones ab ipso reciperet. Nam cum Majestas in par-
vis non semper operosa esse velit, concedit aliquan-
do aliis exercitium & administrationem, non ipsum
summum imperium. Perquam igitur necessarium
est, formam seu statum ab administratione recte di-
stingvi. Nam cum sermo est de Republ. aliqua, quâ
forma eâ gaudeat, tunc non modus administrandi, ut
si Optimates Rempubl. administrant, statim Aristo-
cratia dicatur, sed ipse status respiciendus & viden-
dum est, penes quos sit ipsa potestas.

§. 26. Consiliariis maximè indigent imperantes,
eorum autem adhibitio nullo modo jus imminuit
Majestatis, sed magis promovet ejus felicitatem. Sic
enim in Germaniâ semper in comitiis Optimatum
leges approbatæ fuerunt. Sic olim Alexander Se-
verus Imperator nullam constitutionem sacravit si-
ne viginti Jurisperitis doctissimis & sapientissimis
viris, iisque disertissimis non minus quinquaginta, &
id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac
scriberetur, quid quisque dixisset, dato tamen spatio
ad disquirendum cogitandumque, priusquam dicerent, ne
incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus,
uti refert Ælius Lampridius in vitâ Alex. Sev. Ve-
rum aliud est ad consilia adhiberi, aliud absolutè im-
perare. Non negamus, unum aliquando, cui soli o-
mnia Imperii negotia commissa, posse administratio-
nem vertere in Statum, & statum in administratio-
nem, idque aliquando factum esse; sed quatenus est
Consiliarius, eatenus non absolutè imperat. Cæ-
terum Electores aliosque Imperii status hodiè non
consilii tantum, sed maximè etiam necessitatis causa

ad ferendas Imperii leges adhiberi, ex Capitulationibus probat Carpzovius in L. Reg. Germ.

§. 27. Porro cum Legibus esse solutum maximè summam constituat potestatem ita, ut qui Regale hoc plenè exercet, Majestate certè fruatur. Cum autem obsequia Legi naturali debita hinc excludantur, & multi Imperium ex pacto, certis Legibus potentiam limitantibus sese adstringentes consequantur: pacta autem servanda & jure gentium etiam Regibus inviolabilia esse constet: Non minus illi, qui in Leges certas juravit, quam qui jure naturæ non est solutus, remanere Majestatem, non pauci asserunt. Legas dehinc & audias acerrimas Politicorum de hac quæstione controversias: An salva Majestatis essentia summus Princeps in Leges fundamentales jurare queat? Doct. Stirnius Consiliarius Hanoicus in Nomothesiâ suâ Rom-Germanica de constit: Principum ita respondet: *Quamvis capitulationis pactiones, quibus immensæ potestatis jura coarctantur, Majestatem Principis non evacuent aut absorbeant, multo minus per juramentum servandarum harum pactionum gratia interpositum, aliquid detrahatur Majestati Principis juxta Reinking. Lib. 1. de Reg. S. & E. Cl. 3. c. 9. n. 8. seqq. Dn. Limn. in Proleg. ad Capitul. Imper. Sect. 8. Hug. Grotium de jure B. & P. Lib. 1. c. 3. n. 16. Besoldum in Thes. Pract. & Carpzov. Comment. in L. Reg. Germ. c. 1. Sect. 10, & cap. 12. per totum; Legi tamen Regiæ Germ. vel Capitulationi Cæs. ceu fundamento innititur Majestas realis Imperii, Carpzovius ad Leg. Reg. c. 1. sect. 10. n. 3. Ex quâ alia quæstio satis ponderosa & perplexa imprimis inter Reinkingium lib. 1. de Reg. Secul. & Eccl. c. 5. c. 9. Et Limn. lib. 1. Jurispubl. c. 32, n. 20. seqq. multum agitata pullulat: An scilicet Imperium*

perium Imperatore majus sit? Ille equidem partes Imperatoris
vis tuetur; hic pro Imperio militat. Grotius l. c. ita lo-
quitur: Non desinit summum esse Imperium, etiam si is, qui im-
peraturus est, promittat aliqua subditis aut Deo, etiam talia,
quæ ad imperii rationem pertineant. Nec jam de observatio-
ne juris Naturalis & Divini, ad de Gentium, loquor, ad quam
Reges omnes tenentur, etiam si nihil promiserint, sed de Regulis
quibusdam, ad quas sine promisso non tenerentur. Fatendum
tamen, id ubi fit, arctius quodammodo reddi Imperium, &c.

§. 28. Quid ad difficillimas & intricatas, hasce
quæstiones respondeamus, ex superioribus colligi-
tur. Etenim quia Majestatem realem hinc aman-
davimus, & LL. fundamentalibus nullam in esse
statuimus, non potest non inde sequi, eos, qui Le-
gibus Circumscriptam habent potestatem positivis,
absolutam non habere. Posito enim, Regem pactis,
quibus potestas restringebatur, aliquando non sta-
re, quis eum in jus vocaret? lex illa fundamentalis?
superiorem enim personam non agnoscit. Sed
quam illa Lex absq; custode habet potestatem? Nul-
lam, est enim litera mortua. Leges rem surdam &
inexorabilem vocabant illi Regii nominis pro-
pugnatores apud Liv. Lib. 2. c. 3. Accedat ergo Lex
viva Magistratus necesse est. Tradit Diodorus Si-
culus lib. 1. de Æthiopum Regibus & Ægyptiorum,
eos ad multarum rerum observationes obligatos
fuisse: Verum si contrafecissent, acensari vivos non
potuisse sed mortuorum accusatam esse memoriam,
& damnatis abjudicatam solemnem sepulturam; sic-
ut & Hebræorum Regum, qui malè regnassent, ca-
davera extra proprium Regibus locum sepulta egre-
gio temperamento, quò & sanctim. omnia summæ po-
testa-

testatis maneret, & tamen futuri iudicii metu Reges à fide mutanda retraherentur. Nam superiorem in his terris non agnoscunt, soli Deo jurarunt, à solo Deo puniendi, alio haud modo, quam quo juris naturalis transgressores Monarchæ & Principes à Deo non à subditis in jus vocati puniri debent. Quid vero de iis dicemus Regibus, qui LL. fundamentalibus non solum ex pacto tenentur, sed & coram alio conveniri, coërceri, & imperio quandoq; exui possent Pacta transgressi?

§. 29. Pacta unius certè generis non sunt. Paciscuntur enim Reges modo cū æqualib⁹, modò cū inæqualib⁹. Æquales jus & libertatē absolutā; inæquales ex parte habere videntur. Qui Reges cū liberis paciscuntur Gentibus, summam potestatem ægrè pactis obtinebunt, difficulter illi populi servitutem liberè subeunt, nisi bello subigantur. Ut plurimum pactum cum Rege de ipsa Majestate ineunt; Quod si fit, & ipse futurus Rex pactis ita admittitur, ut in omnibus summā potestatem exercere neq; possit neq; debeat, quis non videt, eam ipsam esse sponsam, quam uterq; paciscens ambiat? Ita Tyrus & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phænicesq; memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura videbatur quam Imperium, Autore Curtio Lib. 4. c. 2. Quod si igitur futurus Rex quasdam potestatis summæ partes ex pacto remisit, jam non summam in omnibus & ubiq;, sed restrictam accepisse potestatem dicendus est. Nec rectè loqvuntur, qui eam potestatem summam in suo genere dicendam autumant. Nam si omnis potestas restricta & limitata nihilominus summa in suo genere dici meretur, quot quæso
in y.

in unâ civitate concedendæ essent summæ potestates? Absoluti igitur Monarchæ & Reges propriè ita dicti speciem servitutis esse credunt, aliorum beneficio Regnum possidere & precariam habere potestatem. Boeclerus in disp. de Româ sub 7. Regibus.

§. 30. His ita præmissis & constitutis Thesin & sententiam nostram definitivam probaturi superius prolatam sequentes facimus conclusiones: I. *Imperium Rom. Germanicum non est absolutè & purè Monarchicum.* Probat, quia unus non habet summam in omnibus potestatem, potestas quippe unius Legibus fundamentalibus maximè est restricta. Quod ipsum cum ex aliorum Imperatorum Rom. Germanicorum, tum ex Leopoldi Augusti Imp. Capitulatione facile probari potest. Lege istius Capitulationis 2. juravit, *se Leges omnes Imperii, præcipuè quam Auream Bullam vocant, &c. Instrumentum pacis non modo confirmaturum, sed & de Electorum statuumque consilio, si res ita feret, amplificaturum esse.* Idem ex sequentibus Capitulationis laudatæ legibus evincitur. Lege enim 6. *Electores, Principesque licet, cum erit opus, inter se convenire deque Rep. deliberare.* Juxta Legem 10. *de rebus Imperii Imperatori nullum fœdus aut pactum facere licet cum externis, nisi de Electorum consensu.* Lex 16. ita habet: *Sine consensu Electorum nullos conscribat milites, &c.* Ex quibus luce meridiana clarius apparet, unius potestatem in Romano Imperio esse restrictam & non absolutam.

§. 31. Inde tamen nondum evincitur, quod nonnulli, imprimis Itali & Galli partim ex odio, partim ex æmulatione evincere satagunt, contra Imperatorem nostrum Augustissimum vana effutientes. Pierre Matthieu cum Bodino crassâ ac magnâ ignorantia rerum Germanicarum Imperatorem Rom. Duci

D

Vene-

Venetorum æquiparavit. Non plus, inquit, valet Titulus ac nomen Imperatoris, quam Ducis Venetorum. Hunc vero Ducem Itali vincitum ac captivum appellant, quod vix aliquid possit suâ auctoritate, & ferè nihil aliud sit, quam aliis in Regionibus Imperator & Dux exercitus. Galliasserunt, Imperatorem nullam habere potestatem, cujus Authoritas tot Legibus sit circumscripta, ita quidem ut proverbio dicatur: Tantum potest Princeps in suo territorio, quantum Imperator in Imperio: Personatus ille Hippolitus à Lapide magnum os Imperiæum vocat. Erasmus sanè Roterodamus Campego Cardinali subtilius scripsit hunc in modum: Magna quidem est Cæsaris in Germaniâ potentia, sed hoc tamen ab omnibus non agnoscitur. Germani vero qui agnoscunt, id certis conditionibus sic agnoscunt, ut imperent verius, quam pareant, uti refert Sleidanus. Invidis ejusmodi Scriptoribus Imperioq; Germano infensissimis scitè aliquis respondit: Maxima Imperatoris in Germaniâ potentia nullo argumento fortiori probari potest, quam si Caroli V. superioris seculi victoriæ & ferrei Germanorum nervi superioribus bellis Germanicis satis intensi, nunquam verò incisi Gallis aliisq; in animum revocentur.

§. 32. Concl. II *Imperium Romano-Germanicum non est purè Aristocraticum.* Nam unus divisim in Imperio multa alia per se potest, quæ LL. Fundamentalibus non prohibentur. Rectè proin Imperator caput dicitur Imperii; Imo ab exteris etiam caput summum omnium Christianorum vocatur: Qvis autem caput præstantius haud dixerit reliquis membris, infert B. Carpzovius, Ideò cum alii sint Reges servorum,

rum, alii Reges Nobilium; meritò Imperator Rex dicitur Regum. Ipse Limnæus lib. 2. Jur. publ. c. 2. n. 1. in definitione Imperatoris eum Reip. Romano-Germanicæ caput vocat. Præterea si Imperatoris & Statuum in Comitibus circa Legem universalem ferendam, opiniones & sententiæ ad harmoniam reduci non possunt; Imperator rem suo pro arbitrio determinare, atq; hoc modo Statibus Legem dicere potest; quod præter Reinkingium de Reg. Sec. & Eccl. Lib. 1. Class. 2. c. 2. n. 113. Limn. etiam de jur. publ. Lib. 9. c. 1. n. 170. seqq. fatetur. Creatio etiam Principum, Comitum, Nobilium, aliorumq; Magistratum, Dignitatumq; collatio, &c. Imperatori divisim convenit, quod supra probatos Authores Lanfium Besoldum, Syn. Pol. c. 2. Th. 37. & 38. Carpzovium Comm. in L. Reg. 6. 10. & D. Stirnium tit. 3. p. 54. comprobatur quotidiana experientia.

§. 33. *Concl. III. Sui igitur modo Imperator mundi dicitur Dominus, & Imperium ultima Monarchia.* Acerrimè quidem pugnatur, quo jure Imperator Rom. mundi Dominus dicendus sit, cum hodiè ejus partem exiguam tantum possideat. Rem hanc satis difficilè expedivit, & generalitatem illam ad orbem Romanum h. e. qui Romano subest Imperio restrinxit, nec non universales istas locutiones non simpliciter, sed Synecdochicè, ita ut totus mundus & similes dictiones pro majore mundi parte, non quidem per se, sed contemplatione Rerum publ. & Regnorum aliorum intelligantur, accipiendas esse, dudum docuit Per-Illustris Dominus Georgius Dietrich à Rondeck, Reverendissimo ac Serenissimo Principi ac Domino, Domino AUGUSTO, &c. &c. &c. A Consiliis intimis,

D₂

&c.

&c. &c. Præful atq; supremus Illustris Augustei In-
spector eminentissimus, in notis propediem exa-
ctiori adhuc lima denuo prodituris ad Aureâ Bullam
c. 2. §. præfrito; p. 27. Instar omnium hic nobis est, ut
neq; Carpzovii, neq; Limnæi, neq; Reinkingii expli-
catione indigeamus. Nam summum Imperium dici-
tur Romano-Germanicum non ratione potentia, la-
titudinis & quantitatis, sed ratione qualitatis seu vir-
tutis. Quia in Imperio hoc florem prudentia, sapien-
tia, virtutum ac artium ad beatitudinem humanam
facientium deprehendimus, unde universæ humanæ
societatis mens & pars ejus imperans dicendum. Mi-
ferosq; potius & infelices deprædicamus, qui Impe-
rium ei denegarunt; imò reprehendendos, quod con-
tra naturam peccarint. Nam quod toti generi huma-
mano salutare est, tollitq; omnia in justitiam & vi-
tiositates involventia, id respuere, injustum est. Indi-
gnetur licet Hippolitus à Lapide nomen Domini or-
bis canino rodēs dente, parte enim I. de Ratione Statꝝ
c. 18. periniq; & malevolè scribit: *Domini nomen adhuc
Imperatori tribuitur, cum tamen re ipsa nihil minus quam Do-
minus sit, mansitq; Imperatori hoc vestigium & quasi umbra
quædam antiquæ potestatis. Sc. Nominetenus Imperator Do-
minus est, & revera eundem esse Dominum multi negant. Por-
ro caput quoq; Imperii rectè dicitur Imperator, non verò ejus-
modi caput, cujus cerebrum pro arbitrio suo reliqua corporis
membra gubernare queat, sed quia primus ac præcipuus in Im-
perio Princeps est. Non est audiendꝝ, qui se ipsum non
audit. Videtur enim sibi contradicere Hippolitus;
Imperium Romanum esse Aristocraticum, probaturus
admittit tamen primum in eo & præcipuum Prin-
cipem Imperat. Rom. quo concessio Aristocratia, in
quâ*

quâ Optimates omnes æquales habentur, & uno plu-
res summam indivisim exercent potestatem, exiguus
relinquatur locus.

§. 34. Concl. IV. *In Imperio Rom. Germ. aliquando
Monarchia, aliquando Aristocratia prævalet.* Quantis in
hac quæstione Politici disputationum suarum atq;
interrogationum laqueis se irretitos teneant, pluri-
bus probari, quam hæ pagellæ capere possunt. Liti-
gantium Coryphæos supra attigimus. Nos, quia tra-
himur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupidi-
tatem, in quâ excellere bonum putamus; labi autem
& errare, nescire & decipi, & malum & turpe duci-
mus, juxta Eloquentiæ Principem lib. 1. off ancipi-
tem posuim, conclusionem, nec minus probabilem.
Nam cum facies Reip. toto die mûterur & conditio-
nes in Imperio Rom. Germ. sæpè ad Martis sortem
quotidiè variantur innoventurq;. Brevis enim du-
rationis sunt Principatus terrestres sub eadem formâ,
idq; ob rerum omnium quæ sunt, vicissitudines, in-
quit Rocabellæ Princeps Practicus à Domino de
Bleu Latinâ civitate donatus. Undè & pristinis tem-
poribus, docente Strabone, Reges coronam capite
gestabant formam navis referentem, significaturi,
quod Imperia totidem aut pluribus fortunæ ludibriis
casibusq; exposita sint quam naves. Quid miri, si in
Rep. mixta aliquando Monarchia, aliquando Aristo-
cratia præponderet?

§. 35. Concl V. *Læsæ Majestatis Reus habeatur merito,
qui Imperatorem & Imperium à Papâ dependere asseruerit.*
Nulla igitur est prætensio Papæ donationis à Constantino fa-
ctæ. Nam Germani Imperii hujus dignitatem virtute sua
sunt promeriti. Confirmamus hoc testimonio Imperat. Fer-
dinandi I. in R. I. de anno 1559. ubi se indubitatum suc-
cesso-

cessorem resignante Carolo V. Imperium, non ex Pontificis gratia, sed ex Electorum consensu & creatione proficetur. Perbellè Imperat. Fridericus I. Aenobarbus impudentissimo illi Pontifici Hadriano VI. respondit, ut potius de sectandis vestigiis Petri, de portandâ cruce Domini, quâ de regnis tradendis, adimendis, & transferendis cogitet. Quandoquidè Aula decet Reges, Christi decet ara Ministros,

Cum Christo Imperium non habet orbis idem. Itaq; singulari decreto Imperat. Ludovici Bavari Coloniae anno 1338. decisum, mendacii, imo criminis læsæ Majestatis reum declarandum, qui Imperium à Papâ, vel ei suppositum esse asseveraverit. Juramenta Imperatorum Pontificibus præstita, quæ Carolus M. Leoni III. & Otto M. Johanni XII. præstitisse leguntur, non subjectionis vel fidelitatis; sed protectionis, fidei Christianæ servandæ & Ecclesiæ protegendæ juramenta fuisse cum Carolo von Hagen Jur. Publ. l. 1. c. 2. asserimus. Facti sunt non juris quod Pontificii superstitione & simulatione summæ sanctitatis & pietatis piissimos Imperatores circumvenientes sibi tribuerunt & ausi sunt. Tempore Caroli M. ob juramentum, quod electus Imperator summo Pontifici, se fidelem Ecclesiæ Romanæ futurum promiserat, gravissimæ in ultimâ illa Cæsaris legatione ad Urbanum VIII. in conciliandis utriq; orationibus, ortæ sunt difficultates; quod Pontificii obedientiæ, Cæsarei verò observantiæ fidelitatis juramentum ab electo Imperatore Romanæ sedi præstandum adscriberent. Et ita utriq; obfirmati erant animi, ut Legatus à sumtuosissimâ Legatione (cujus similem Roma diu non viderat) potius desistere, infectaq; redomum redire paraverit, quam hisce inusitatis terminis Imperio, Cæsareæq; Majestati aliquam subjectionis labem aspargere. Res tandem ita composita, ut Pontificii verbo obedientiæ, Legatus verò observantiæ in suis orationibus uteretur, uti refert Beckerus syn. jur. publ. Imp. Rom. de juribus Electo Imperatori competentibus p. m. 80. si ei fides in hoc habenda, quæ in multis aliis meritò suspecta. Hodie autem furo detecto Papæ injusta prætensio à Christianis Regibus & Prin-

Principibus non tam Legatione digna habetur, quam exhibetur & exploditur.

§. 36. Concl. VI. *Imperator & Imperium summam habent potestatem seu Majestatem plenam omnib⁹ populis formidabile.* Hoc tam clarum atq; evidens nobis videtur, quam cœlum si sudum est ipso meridie. Omnes enim partes Majestatis potestativas sive Regalia plenariè exercent, & exteris populis timendi sunt. Qui id negat, vires eorum experiatur, accedat ad hunc ignem, calefcet plus satis. Criminis læsæ Majestatis reum habebimus, qui hoc seriò est pernegaturus.

§. 37. Aquilam Romanam hodiè nimis deplumatam, multi conqyeruntur, contra quos VII. nos constituimus conclusionem: *Amplitudo Imperii Rom. Germ. tanta hodiè est, quanta ad depellendam quamvis potentissimam vim externam sufficit.* Nam uti corporibus ita Regnis aliqui certæ magnitudinis limites, quos ultra citraq; nequeunt consistere rectè, constituendi sunt. Laborant itaq; Regna interdum suâ magnitudine, id quod de imperio Romano olim à prudentibus est notatum, eoq; illud prudentissimi quidam Cæsarium contrahere omni studio sunt conati. Et quis Regnum Hispaniæ, cui nunquam Sol occidere creditur, hætenus eodem morbo laborasse non videt? Cui Regnum Galliæ multo arctius, si potentia non superius, nihilo tamen minus æquale fuit. Latè enim imperando haud rarò ipsum amitti Imperium, aut saltem immutari, dudum docuit Regius ille Præceptor Mæcenas in Oratione ad Cæsarem Augustum apud Dionem Lib. 52. inqviens. *Dum pauci fuimus, necdum magnopere supra finitimos nostros creveramus, Remp præclarè gerebamus, ac totam ferè Italiam subjeceramus. Postea verò quam extra eam profecti in multa continentis, & insularum loca transivimus, totumq; mare totamq; terram nomine & potentiâ nostrâ implevimus, nullis bonis frui potuimus. Sed domi primum & intra muros dissidere cœpim⁹ post etiam hunc morbum in exercitus transulimus. Quibus de causis Civitas nostra instar navis variis*
Genti-

2471380

Gentibus onerata, magnaq; tempestate diu sine Gubernatore agitata, nunc fluctibus fertur modò hac modò illac inclinans, ut quæ nullo clavo gubernatur, &c. Felicissimum igitur Imperium nostrum prædicamus, quod limites quantitatis debitos & justos non excedendo æquali magnitudinis proportionem hodiè gaudeat.

§. 38. Conclusiones plures inferremus alias easq; specialiores, nisi eas ex præmissis sequi & doctioribus inq; conjecturis sagacissimis viris cum Themistocle de instantibus verissimè judicare & de futuris callidissimè conjicere solitis, factis esse cognitatis, maximè nobis persuasum haberemus. Ideoque Regulam illam Ulpiani l. solent etiam §. non verò 3. ff. de offic. Procons. *ne omnia, neq; quovis tempore neq; ab omnibus exactius trutinentur negotia publica ob debitum Magnatibus respectum, quorum interest, non omnia arcana curiosè nimis rimari & scrutari, observaturi; reliqua insuper jura in Rom. Imperio non calamo & voce magis quam ferro quandoq; disputari, & genuinam explicationem non forsitan tam fumum lucubrationum, quàm usum rerum intimiorum docere, quo sine*


Esse opis haud nostræ tantas componere lites, Perpendentes, receptui hic canimus.

Deo igitur ter Opt. Max. omnis potestatis supereminens Authori gratias agimus singularissimis verbis, cui nunquam satis esse poterimus, præstemus licet omnia grati, quod hæcenus sub Augustissimo Imperatore, Imperii & Statibus, maximè sub Reverendissimo atq; Serenissimo Principe ac Domino, Domino AUGUSTO, Postulato Administratore Archi-Episcopatus Magdeburgici, Duce Sax. Jul. Cliv. ac Montium, &c. &c. &c. Domino & Nutritio nostro clementissimo In Imperio Rom. Germ. tranquillè vivere potuimus. Is largiatur & imposterum Imperii & nostro Augusto, omnibusq; S. Imperii Statibus pacem ac veritatem amantibus sanitatem, & id ipsum, quod amant, ut sub eorum tutela, maximè verò sub *Ruta tegmine* tranquille & securè vitam agamus.

F I N I S.

215





ffimo, & Generosissimo
ac Domino,

THONIO THERO,

rg ac Delmenhorst, Dy-
c Kniephausen, &c.

o Clementissimo,

In

ejus Celsissimæ ac Illustrissimæ
simis Majoribus Proavis suis à
t, annis, referente Chronico
is Cels. sibi suisq; immerentibus
n collatorum memoriam sem-

Hasce primitias studiorum suo-
rum debitâ gratitudinis obser-
vantia humillime & obsequen-
tissimè dedicare & offerre vo-
luit

ANN. FRIED. à Schagen/
Eqves Oldenburg.

